



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. II. De progressu SS. Cultus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

» mum propter impedimenta quæ multa occurrent su-
 » peranda: namque scire debet, eum omnia posse, qui
 » sibi prorsus diffidens, fiduciam suam omnem in me
 » uno, spemque collocat. Hactenus P. Claudius.

Ille vero eximia pietate vir, spirituumque discernen-
 dorum magister peritissimus, quum virginis sanctitatem
 haberet perspectissimam, nullamque fraudem in eo
 quod agebatur suspicari omnino posset: mandatum
 Domini sui excepit ea reverentia, qua par erat, cultum-
 que deinceps cordis Jesu pro virili parte promovere,
 quoad vixit, non destitit. Modicum tamen piissimus
 cultus eo vivente progressum habuit: seu quod Dei fa-
 mulus paulo post in Angliam, uti dictum est, trajecerit:
 seu quod ex Anglia redux, quatuor dumtaxat annos
 continuis morbis afflictatus superstes fuerit: seu denique
 propter impugnantium morositatem, qui ea novitate
 offendi videbantur, ac ne induceretur resistebant. Ve-
 rum enim vero Deus opus suum quod cœperat imper-
 fectum non dereliquit; uti cap. sequenti videbitur.

C A P U T II.

De progressu Sanctissimi Cultus.

Patre Claudio La Colombiere e vivis sublato: scri-
 pta illius opera publicæ lucis dignissima paulo post
 edita sunt: inter quæ memoratus ille codex est repertus,
 qui admirabiles plane pietatis sensus continens, summa
 aviditate a populis exceptus est, atque etiamnum piorum
 ma-

manibus, totâ Europâ varias in linguas translatus, magno cum animarum fructu usque teritur. In eo autem codice quum revelatio illa, de qua dictum est. (Deo sic res longe ante ad propositum finem mirabiliter disponente) inserta esset: inde officio erga cor Jesu, mirifica accessit commendatio: atque ex eo fonte primum noster hic cultus emanavit in publicum. Codicem illum alii postea libelli secuti sunt, de eadem re uberius, & explicatius tractantes; variasque exercitationes ac præcationum formulas cordi Jesu colendo idoneas complectentes: quorum ope Sacratissimus Cultus celebrior factus, a multis usurpatus, & in praxim deduci cœpit. Verum quod fuit novæ praxis ac cultus initium, idem & perfectionis fuit. Nam ubi primum animadversum est, novum istud pietatis exercitium diffundi, usuque perfici: incredibile dictu est qui animorum motus, qui clamores extiterint: iis etiam in locis ubi non publice sed privatim tantum usurpato contigit. Adeo ut plerique pacis studio, omnino ab eo exercitio cessandum duxerint. Ipsum (quod mirere) cordis Jesu vocabulum sacro officio inditum, multorum iram & indignationem accendere videbatur, ut coram ne pronunciari quidem sine offensione quiret. O Jesu, o Salvator hominum amantissime, quid demum in hoc tam sacro tamque suavi vocabulo fuit, tali contemptu dignum? Quid in corde tuo, quo nihil sanctius, nihil dulcius, nihil nobilius, nihil divinius esse potest, quid inquam repertum est, aptum ad animos Christianorum offendendos? Quam tandem mentis aut cœcitate tanta, aut perturbatione

con-

contigit, ut fideles tui, officium tam sancto, tam divino, tamque amabili nomine insignitum ac nobilitatum, ipsiusmet vocabuli averfatione & odio, fastidirent ac respuerent? Mirum hodie cunctis accidit, quum auditur, aut legitur, solemnitatem Corporis Christi acerrimas olim in prima sui institutione contradictiones passam esse: at mirum certe magis posteris aliquando accidet, quum audient, aut legent festivitatem cordis Christi similibus impugnationibus patuisse.

Porro nihil huc attinet, ea fingillatim enumerare, quæ contumeliose in Sacrum Cultum seu dicta, seu scripta, seu gesta sunt: quanta vi, & acerbitate in illum, viri etiam religiosi insurrexerint: quam indigne passim habiti sint pii officii authores fautoresque; quibus calumniis, dictariis, irrisionibus jactati: quam sæva in ipsam quoque virginem Margaritam persecutio in ipso suo monasterio efferbuerit: hæc inquam longiori narratione referre nihil juvat; præsertim quum multi adhuc, qui horum participes fuerunt, superstites sint, atque in melius jam mutati. Omnia uno verbo complectar, renovata scilicet singula, quæ de initiis festi Corporis Christi nar-
ravimus.

Verum quod ibidem de divini consilii executione observavimus, idem omnino in negotio præfenti contigit. Excitata nimirum tempestas, cursum piissimi cultus retardare quidem potuit; at nullatenus impedire. Factum est enim, aspirante Numine, ut ubi semel fuit cognitus, diffundi latius ac propagari nunquam deinceps cessaverit. Primum quidem occulte, ac timide a
pau-

paucis susceptus : postea publice ac confidenter usurpatus a laicis pariter ac clericis ; sed maxime uti decebat in religiosis cœtibus a viris fœminisque ; junioribus natuque majoribus ; doctis juxta ac idiotis ; perfectis in studio virtutis , parumque provectis ; consilium ad id dantibus privatim ac impellentibus confessariis , animarumque ductoribus ; hortantibus etiam publicè verbi divini præconibus ; eo plane successu ut digitum Dei hîc quoque fuisse rerum conscii dubitare minime possint . Libelli in eam rem conscripti toto regno disseminati : Imagines Sanctissimi cordis magno numero & pingi & sculpi cœptæ , sexcentisque in locis fidelium adorationi palam expositæ : altaria cordi Jesu dicata plurima : confraternitates in ejusdem divinissimi cordis honorem , in omnibus regni provinciis Episcoporum authoritate constitutæ ; atque a Sede Apostolica consuetis indulgentiis decoratæ : festus dies cordi Jesu colendo destinatus , & ab eisdem confraternitatibus solemni , ut fit , pompa & apparatu celebratus : quod quidem festum ut Sanctimonialia a visitatione Beatæ Mariæ nuncupatæ singulis annis simili pompa in suis Ecclesiis celebrent , ab Episcopis , totâ Galliâ ac deinde a summis Pontificibus , brevi indulgentiæ speciali , toto orbe concessum est . Id præterea in eisdem monasteriis , aliisque nonnullis in more positum est , ut singulis mensibus dies una cordi Jesu colendo præcipue consecrata sit , indictâ eo die in eumque finem omnium Sanctimonialium sacra communione . Denique piissimus cultus , 40. annorum spatio , impedimentis superatis , toto regno

C

fen-

sensim diffusus, summo animarum fructu ac bonorum omnium gaudio late vigebat: cum ecce tibi novus ac mirabilis modus a Divina Sapientia præparatus, repente præter omnem expectationem exorsus est: quo certe nihil ad Sanctissimum cultum dilatandum; ad populorum animos percellendos, ac permovendos; ad Pastorum zelum acuendum; ad reverentiam denique sacro officio apud Magnates, plebejosque conciliandam aptius, & efficacius esse potuit. Siquidem grassante in Gallia his posterioribus annis pestilentia, urbesque florentissimas in Provincia miserrime devastante; hanc Deus cogitationem singulis urbibus peste afflictis iniecit, ut ad cor Jesu tanquam ad certum perfugium recurrerent: quo consilio quasi divinitus afflato, avidissime a Præsulibus ac Magistratibus suscepto, sese omnes cordi Sacratissimo, votis etiam solemniter editis, non sine præsentis numinis auxilio devoverunt. Quibus votis sese peculiariter ad festum Sanctissimi Cordis Jesu singulis annis in perpetuum celebrandum, Episcopis annuentibus & edicentibus, obstrinxere. Hoc Massiliæ primum, hoc Aquisfextis, hoc Telone, hoc Arelate, hoc Avenione invicem factum est. Quæ tam subita, tam inexpectata, tamque solemnis populorum, & Episcoporum ad cor Jesu conversio, præsertim in tam variis, ac diversis locis, tanta animorum consensione, sine instinctu divino excitari minime potuisse credenda est.

Porro eventus ille mirabilis, quum ad commendationem piissimi cultus, propter tot Episcoporum auctoritatem multum omnino valeat: illiusque progressum
 in

in tot Diocæsisbus præcipuis sane, ac diffusis clare demonstrat; operæ pretium erit, ea quæ hac occasione gesta sunt, ex ipsis Episcoporum publicis decretis, aliisque authenticis instrumentis cognoscere. Quæ propterea ad calcem hujus opusculi diligenter annectemus.

Cæterum existimandum non est, hos Provinciæ Episcopos primos extitisse, qui Sacrosancto cordi publicam venerationem adhibuerint. Alii enim non paucissimi intra Galliam, tum extra, illis exemplo præiverant; piisque officium jamdudum amplexi, suis in Diocæsisbus publicum esse voluerant.

Archiepiscopus Lugdunensis Fr. Paul. de Neuville de Villeroy Galliæ Primas, anno 1718. 3. Decemb. nullo adhuc imminente contagionis periculo, sed sola innata pietate, Numinisque instinctu permotus, mandatum edidit typis impressum, quo festum cordis Jesu in amplissima Diocæsi celebrandum indicebat. Anno vero 1721. 3. Junii. Cum jam pestilentia quæ Provinciam vastabat, terrorem vicinis provinciis incussisset; mandatum illud primum, novo decreto confirmavit: diemque cordi Jesu Sacrum in universa Diocæsi feriatum esse voluit. Archiepiscopus Bisuntinus Pet. de Grammont pietate ac religione insignis, anno 1692. cultum cordis Jesu ita probavit, ut Missam propriam die cordi divinissimo dicato celebrandam, missali quod illius provinciæ peculiare est, atque a Romano diversum, inferi mandaverit. Illo ipso tempore Episcopus Lingonensis Archiepiscopo Bisuntino proximè vicinus; hujus exemplum secutus idem omnino in hono-

rem cordis Jesu sua in Dicecesi constituit: Missamque Bifuntinam suo quoque missali adjungi præcepit. Episcopus Constantiensis in Normania Carol. Fr. De Lomenie de Brienne, primus omnium in Gallia fuisse videtur, qui cordi Jesu cultum solemniori ratione detulerit, jam enim ab anno 1688. templo ad honorem Sanctissimi Cordis in Seminario suo excitato ac consecrato; constitutaque pia sodalitate cordis Jesu nomine insignita, quam Romana Sedes indulgentiis etiam decoravit, officio publico festum cordis Jesu pompa solemnissima celebravit.

Contigit sub illud ipsum tempus, ut ordo Sancti Benedicti cultum Sacratissimi cordis sibi peculiari ratione amplectendum duxerit: Officio divino proprio, sub ritu duplicis secundæ classis, suis in Ecclesiis in honorem divini Cordis certa assignata die, celebrato, ut videre licet in libello Parisiis edito officia hujus ordinis peculiaria continente.

Memoratis Episcopis adjungi debent, quotquot in orbe Christiano sunt, qui Monialibus a Visitatione B. Mariæ facultatem concessere festum cordis Jesu in propriis Ecclesiis solemniter, ut faciunt, pompa celebrandi; quos certe innumeros esse constat. Nam de Gallia quidem hoc asseri sine ulla dubitatione potest, nullum esse hujus ordinis Monasterium, in quo singulis annis, approbantibus Episcopis, festum illud Sanctissimum non agatur. In aliis vero extra Galliam provinciis, ac Regnis; in Germania præsertim, ac Polonia, idem pene factitari exploratum est.

Item

Item adjungendi sunt illi omnes Episcopi, qui fodalitates cordi Jesu dicatas, sexcentisque in locis jam constitutas approbarunt, ac condiderunt. Neque enim ab illis ignorari potest, quanto apparatu ab ipsis fodalibus, quantoque populorum concursu idem festum singulis annis peragatur. Denique adjungenda etiam videtur Romanæ Sedis autoritas, quæ omnes illas sacras fodalitates sub cordi Jesu nomine institutas, eidemque Sanctissimo Cordi publice colendo destinatas, ac dicatas, Indulgentiarum litteris cohonestavit. Ut autem certo appareat quam ingens jam sit in Ecclesia, harum fodalitatum numerus: earundem indicem, ex ipsis indulgentiarum publicis codicibus Romæ asservatis accurate extractum, lectorum oculis sub finem exhibebimus. Unde constabit harum numerum, 40. annorum spatio, ad trecentas & amplius assurgere: non in uno dumtaxat regno contractas, sed toto orbe Christiano diffusas, in Italia, Gallia, Belgio, universa Germania, Polonia, Bohemia, Lithuania, & usque in Sinas Canadamque. Neque in certis tantum Ecclesiis, seu ordinibus ejusdem generis, aut coloris constitutas; sed in omnibus sine discrimine tam Sæcularibus Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parrochialibus; quam Regularibus omnium ordinum virorum, ac mulierum Sancti Benedicti, S. Bernardi, S. Augustini, S. Dominici, S. Francisci, Carmelitarum, Cappucinatorum, Societatis Jesu, & aliorum. Ex qua observatione manifestissime declaratur, cultum Cordis Jesu a fidelibus avidissime ubique susceptum, totaque jam Ecclesia non sine pe-

culiari Numinis providentia esse propagatum.

His de origine ac progressu Sanctissimi Cultus præmissis, jam ad naturam ejusdem explicandam accedamus. Porro quum ad ejusmodi expositionem, si secundum divinum consilium procedere velimus, multum conferre debeat revelatio illa peculiaris, de qua superius dictum est: expedire omnino videtur illius veritatem capite sequenti confirmare.

CAPUT III.

Memorate revelationis veritas expenditur. Ubi, occasione accepta, que fides ejusmodi cœlestibus gratiis adhibenda sit, obiter perstringitur.

Ostendam paulo post, cultum cordis Jesu ita esse per sese solidum & excellentem, ut nihil opus sit ad cœlestem visionem confugere authoritatis accersendæ causa. Verumtamen quum hoc officium ab ipso Jesu divinitus fuisse traditum dixerimus; hocque si verum esse comprobetur, aptissimum sit ad fidelium animos ad pium cultum alliciendos: videndum sane est num allatæ revelationis veritas satis firmo nixa fundamento sit: an fortassis fœminæ deliramentum aut alucinatio pro divino monito nobis imprudentibus obtudatur. Quæ res eo magis examinanda videtur, quod ea vivimus ætate, qua multos reperire est tam alienos ab hisce gratiis inusitatis, ut quidquid ejusmodi audiunt, tanquam fabulas, meraque somnia respuant, & aspernen-